I. N. D. N. J. C.

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

De FEUDO OBLATO,

Quam

FAVENTE DEI GRATIA

EX DECRETO

Illuſtris JCtorum Ordinis in Celeberrima Salana,

PRÆSIDE

DN. GEORG. ADAMO Struven/

Hæreditario in Wantzleben & Wenigen Jehna/

JCto Conſummatiſſimo, Sereniſſ. Ducum Saxo-Vinarienſium Conſiliario intimo Eminentiſſimo, Facultatis Juridicæ Præſide Ordinario, Curiæ Provincialis ac Scabinatus Aſſeſſore Primario Graviſſimo, &c.

Dn. Patrono & Promotore ſuo Reverenter ſuſpiciendo,

PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS, DIGNITATIBUS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS RITE ET SOLENNITER CAPESSENDIS,

Publico Eruditorum Examini ſubmittit

THEOPHILUS FRIDERICUS BORRIES,

Mindanus,

Ad diem 13. Maji Anno M DC LXXVIII.

JENÆ, nunc recuſa, 1717.

(8)

30.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆLOQVIUM.

Cum præſentem materiam ab inclutis JCtis audiviſſem ſatis elegantem, gravisſimam, ac hactenus nondum excuſſam, ſelegi illam ab aliqvot temporibus,eo propoſito ſi placeret annuente Deo INAUGURALEM tandem conſcribere,

Digitized by Google

bere, me hoc de FEUDO OBLATO illuſtre thema eruditorum placidæ cenſuræ eſſe ſubmiſſurum: ſi vero impræſentiarum non omnia ob mentis meæ tenuitatem exaſſe, uti decuiſſet, expediverim, CANDIDUS LECTOR ex æqvo & bono cuncta interpretabitur. Immortale Numen ſupplex veneror, ut totum vitæ meæ curriculum & ſtudia ulterius qvam clementiſſime ſibi habeat commendata!

CAP. I.

Explicationem vocabulorum continens.

§. II.

QVamvis in limine diſſertationum ſplendidas eſſe ſoleant, vocabulorum in inſcriptionibus contentorum explicationem præmittere; nos tamen hac vice opera illa ſuper-

perſedere poſſemus, cum *feudi* vox in omnibus Feudiſtarum libris, tam qvoad ſuam *Etymologiam*, qvam *Homonymiam & Synonymiam* ſatis ſit exploſſa & explicata; Ne tamen hunc morem plane videamur deſerere, de vocabulis in noſtro hoc frontiſpicio contentis paucula adferemus: & quidem cum inſcriptio noſtra DE FEUDO OBLATO duplex vocabulum in ſe contineat, de utroqve ſeparatim pauca.

§. II.

Vocabulum *Feudi* ejusqve *derivationem* qvod attinet, in incerto eam eſſe, adſerit Illuſtris ac Magnificus Præſes Dn. Struvius, Patronus meus magnus Synt. J. F. *c.2. a.1. n.3.* & comprobant variæ variorum Autorum opiniones, qvas & ipſe eodem loco & Dn. Eyben in Elect. ſuis Feudal. *c.1.* §.*8.* & *ſeqq.* de vocis hujus derivatione attulit. Nos ſecuti jam allegatos magnos JCtos eam qvæ habetur *II. Feud. 3.* § *2. in f.* retinebimus, ſecuro adſerentes, a vocabulo FIDES eſſe ductum feudum, non tamen (ut verbis Dn. Eybenii utamur) puro & illibato relicto, ſed ſubacto prius & civitate Lombardica ſeu Theodiſca donato atqve in fœde vel fede migrare juſſo. Hoc indubium eſſe videtur, qvod vocabulum feudi re ipſa ſit longe recentius, utpote qvod ante annum a nato Chriſto 1000. in nullo monumento non ſuſpectæ fidei ſe reperiſſe, allegante Eybenio *ſupra citato loco*, adfirmat Seldenus. An autem vocabulum Germanicum Lehn/ ut feudum notat, vel aliud aliqvod a Germanis ante illa tempora uſurpatum fuerit, vix memini me apud ullum ſcriptorem vidiſſe, & videtur hoc adhuc eſſe in incerto, cum documentis Germanicis

ea ætate ſcriptis fere deſtituamur. conf. Magnificum Dnum Bechmannum Anteceſſorem hujus Salanæ famigeratiſſimum, Promotorem ac Hoſpitem meum omni honoris cultu dilectiſſimum, in uſu practico feudali *Ex. 1. pag. 2.*

§. III.

Varie autem ſumi feudi vocem qvis eſt, qvi ignorat? Et ſi qvis ſit, evolvat ſupra citatos Autores Dn. Struv. *d. c. 1. a. 2.* & plenius Dn. Eyben in Elect. *c. 2.* Nos hoc loco ſolummodo admonemus, vocabulum feudi nec pro ejus conſtitutione, nec pro jure in re vel Domino vel Vaſallo competente a nobis accipi; ſed pro IPSA RE in feudum data, qvæ alias etiam *beneficium*, Germanis ein Lehn oder Lehnguth ſolet appellari. *V. c. 6. §. 2.*

§. IV.

Alterum vocabulum, qvod præ ſe fert noſtra inſcriptio, eſt OBLATUM, qvod ab *offerendo* dici ex Grammaticis notum eſt. Dicitur autem *offerre*, qvaſi *obviam ferre*, & in ſenſu Grammatico idem denotat, qvod ſponte ac ultro exhibere, ſeu, ut barbare loqvuntur, præſentare, in qva ſignificatione freqventiſſime & apud ſcriptores latinos & in legibus noſtris accipitur, vide multa ſcriptorum loca multasqve leges collectas apud magni nominis JCtum Dn. Cruſium, Potentiſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliarium, Adfinem meum filiali obſervantia devenerandum in Tract. *de jure offerendi n. 5. & ſeqq.* ubi etiam alia ad explicationem hujus vocabuli pertinentia invenies. Et in hac communi Grammaticorum acceptione vocabulum offe-

rendi

rendi in noſtro negotio ſumi arbitror, ut *feudum oblatum* ſit tale feudum, in qvo in Dominum a Vaſallo dominium directum ſponte qvaſi & ultro collatum fuit, junge tamen, qvæ inferius dicentur de cauſa feudorum noſtrorum impulſiva & finali.

§. V.

Germani nominant ein auffgetragen Lehn / qvod vocabulum aufftragen æqve uti aufflaſſen/ licet in multis Germaniæ locis ſolenne ſit, & ceſſionem in jure ſeu abdicationem judicialem importet vid. Carpzov. *j. F. R. S. p. 2. c. 39. d. 35.* Dn. Eyben Elect. Feud. *c. 5. §. 1.* tamen cum oblatio feudi regulariter extra judicium fieri poſſit, non in hoc ſolenni, ſed communi & Grammatico ſenſu hic accipiendum eſſe, patet. In documento aliqvo, qvod habetur apud Beſold. in Theſauro practico verbo Auffgetragen Lehn/ occurrit etiam vocabulum auffgeben verb. daß wir Limperg die Burg hant uffgegeben/ vätterlich und frölich us unſere Hand in des Edlen Herrn Hand Graven Egenen von Freyburg/ a qvo Feudum oblatum etiam poſſes vocare, Ein aufgegebeu Lehn.

CAP. II.

CAP. II.

De
Feudi oblati Definitione & Diviſione.

§. I.

DEfinimus autem Feudum oblatum, qvod ſit tale feudum, cujus Dominium plenum in Dominum a Vaſallo translatum, utile vero iterum cum vinculo Vaſallitico ab eo acceptum fuit, vel ut Dn. Tabor Ichnograph. Feud. *p. 1. th. 7.* illud definit: Eſſe tale, qvod a Vaſallo de patrimonio ſuo oblatum eſt Domino ea lege, ut ipſi offerenti vicisſim in feudum concedatur.

§. II.

Generis locum occupat vocabulum Feudi, ſeu Rei feudalis: Eſſe enim *Feudum oblatum* feudi ſpeciem, in qvo Domino dominium directum & jus ad petendam fidem, regulariter etiam ſervitia; Vaſallo vero dominium utile cum obligatione ad fidem & ſervitia præſtanda competit, nemo erit, qvi dubitabit, cum eatenus noſtro feudo, cum reliqvis nulla intercedat diverſitas; in illo vero ſolum hoc ab aliis abit, in eoqve *differentia* in definitione poni debuit, qvod cum alia a domino & maximam partem ex ejus liberalitate proficiſcantur in Vaſallum, hoc e contrario, a Vaſallo veniat ad Dominum, & in hunc dominium plenum, ſive vere, ſive ficte transferatur; Qvo facto demum

poſtea

Digitized by Google

poſtea ad inſtar alius cujusvis feudi a domino Vaſallo conceditur. Qvod cum inferius in modo feudum noſtrum conſtituendi explicabitur pluribus, hic ne ordinem turbemus, non erimus latiores.

§. III.

Diviſiones *Feudi Oblati* qvod attinet, arbitramur, vix poſſe aliqvam de feudo in genere dici, qvæ non huic noſtræ ſpeciei applicari poſſit. Interim ne evagemur hic, uti interdum fieri ſolet, extra orbitas, repetimus, dividendum noſtrum eſſe feudum oblatum non ut jus eſt, ſed ut rem ipſam feudalem notat, & in hoc ſenſu poteſt dividi (primo) in feudum oblatum novum & antiqvum, *Novum* erit, qvod qvis ipſe primitus domino obtulit, & ab eo iterum acqviſivit. Verus, qvod a Majoribus oblatum & acqviſitum, per ſucceſſionem vero in modernum poſſeſſorem devolutum fuit, argumento eorum, qvæ habentur *ii. F.3. pr. n.12.* & apud. Dn. Struv. *c.3. a.1. & ſeqq.*

§. IV.

Secundo poteſt etiam feudum oblatum dividi in Eccleſiaſticum & Seculare, ubi non diſputabimus de fundamento hujus diviſionis, an ea nempe a Perſona concedente? An a Perſona acqvirente? An a qvalitate Rei in feudum conceſſæ deſumta ſit? Hoc enim jam fecere Roſenthal de Feud. *c.2. concl.5.* Vultejus *lib 1. c 8. num 31.* Magnificus Dn. Struvius *c.3. aph.4.* Sed cum de Re, in feudo qvæ habetur, noſtra potiſſimum ſit tractatio; diviſionem a Re feudali deſumtam etiam retinebimus; Erit itaqve feudum oblatum *Eccleſiaſticum*, qvod in re Eccleſiaſtica, vel qvæ

per oblationem Eccleſiaſtica facta fuit, legitime conſtituitur; Poſſet vero Eccleſiaſticam ſubdividi, qvod vel conſtituatur tunc, qvando Perſona Eccleſiaſtica, alii Perſonæ Eccleſiaſticæ rem Eccleſiaſticam offert, & iterum in feudum accipit, vel qvando Laicus Rem aliqvam ſecularem offert perſonæ Eccleſiaſticæ, & illam iterum in feudum recipit; Per oblationem enim ita factam res videtur fieri Eccleſiaſtica, & feudum in ea conſtitutum Eccleſiaſticum; ſed qvid ſi Perſona Eccleſiaſtica, rem aliqvam Eccleſiaſticam alicui Perſonæ ſeculari adhibitis illis reqviſitis, qvæ in alienatione rei ad Eccleſiam pertinentis ſunt neceſſaria, offerat, & ab ea iterum recipiat in feudum, an hoc pro Eccleſiaſtico an pro ſeculari ſit habendum? Anteqvam ad hanc qvæſtionem reſpondeamus, ſupponimus cum Dn. Struvio, Seculare feudum etiam dici illud, qvod Clericus a Domino ſeculari conceſſum habet; cum itaqve per Oblationem Rei Perſonæ ſeculari factam videatur talis contingere ipſius mutatio, ut illa qvalitatem Rei Eccleſiaſticæ exuat, uti contra ſecularis per oblationem Clerico factam induit naturam rei Eccleſiaſticæ, feudum tale potius pro ſeculari, qvam Eccleſiaſtico cenſendum eſt, *junge ea, qvæ inferius* de Perſonis feudum offerentibus & qvibus offertur, dicentur.

§. V.

Tertio poteſt Feudum oblatum dividi in Nobile & Ignobile; *Nobile* iterum in Regale & Nobile in ſpecie ita dictum; de ignobili res extra controverſiam eſt; Nobile qvod attinet nihil obſtare videtur, qvo minus qvisbona ſua allodialia, Comitatum, Baronium, Caſtrum, (bona

(bona enim ejus generis non omnia eſſe feudalis, ſed qvædam allodialia experientia teſtatur) & alia Imperatori ita offerat, ut illa cum dignitate regali vel nobili recipiat iterum, vid. Magnificum Dn. Bechmannum *Ex. 4. pag. 102.*

§. VI.

Ultimo deniqve dividimus feudum Oblatum in Proprium & improprium (Recte enim Dn. Tabor in Ichnographia Feud. *p. 1. theſ. 7.* rejicit opinionem Wumſeri, qvi in tractatu de Feud. diviſ. *claſ. 3. ſect. 9.* omne feudum Oblatum impropriis feudis accenſet.) *Feudum Oblatum proprium* eſt tale Feudum, qvod perfectam feudi eſſentiam habet, ſeu communem naturam continet; Et regulariter feudum oblatum pro proprio feudo habebitur, niſi aliud aliqvid a communi feudorum natura abiens contrarium ſvadeat. Roſenthal. *c. 2. concl. 24. & c. 7. concl. 34. num. 8.* Schrader. *p. 2. c. 3. num. 63.* Dn. Struv. *c. 8. th. 10. num. 10.*

§. VII.

Improprium feudum Oblatum, æqve uti feudum in genere varium eſt; Nos hic loci brevibus ſecuti Methodum Struvianam illas ſpecies, qvæ alicujus momenti eſſe videbuntur, recenſebimus, & qvidem feudum Oblatum improprium *ratione Eſſentialem:* erit feudum, qvod in pecunia conſtituitur, ſive enim 1. Vaſallus offerat domino pecuniam, ut ipſe eam retineat, Vaſallo vero jure feudi certum qvotannis ſolvat reditum, ſive eam 2. offerat ita, ut Dominus credat Ter-

 tio,

tio, Vaſallus autem ab ipſo tertio penſiones jure feudi capiat, ſive enim 3. offerat pecuniam eo fine, ut ipſe eam in feudum recipiat, feudum oblatum improprium erit conſtitutum.

§. VIII.

Ratione naturæ & qvidem ob *accedens pactum* Feudum oblatum improprium erit. (1) *Feudum Francum*, qvod tunc conſtituitur, qvando aliqvis rem aliqvam ita offert, ut qvidem eam in feudum recipiat, ſed absqve obligatione præſtandi ſervitia, qvæ alias communem feudi naturam qvaſi conſeqvuntur, (2) *Feudum Penſionarium*, ſi qvis certa accepta pecunia rem ſuam ita offert, ut eam in feudum recipiat, cum onere ſolvendi certam penſionem annuam, ſive in pecunia ſive in alia re fungibili, vino, oleo, butyro, ſive in animalibus (3) *Feudum hereditarium*, qvod pro varietate pactorum, ſive ipſi oblationi, ſive ſubſecutæ inveſtituræ adjectorum, vel etiam pro varietate conſvetudinum feudalium varium eſt, ut nimis eſſemus longi, ſi hæc omnia hunc in locum conjicere vellemus, poſſunt interim huc applicari cuncta illa, qvæ de feudo communi hereditario attulit Dn. Struv. *c. 4. a. 13.*

§. IX.

Ad hanc feudorum oblatorum impropriorum claſſem etiam referimus Feudum oblatum *pignoratitium*, qvando domino dominium directum non abſolute, ſed ſub ratione & conditione juris alicujus pignoratitii in ſecuritatem crediti oblatum eſt: Finge enim Titium à Mævio

mille

mille thaleros mutuo accepiſſe, ipſiqve in ſecuritatem hujus crediti obtuliſſe domum, ſed hac conditione, ut eam ſibi in feudum iterum concedat, dominiumqve directum tam diu teneat, donec pecunia iterum ſolvatur. Qvæ feudi pignoratitii ſpecies licet a Feudiſtis communiter non adferatur, qvin tamen in actu rerum occurrere poſſit, æqve ac altera, qvo dominium utile jure pignoris tenetur, non eſt dubitandum.

§. X.

A communi feudorum natura ob ſingularem jure feudali conſtitutam conditionem abit Feudum oblatum *fœmineum*, qvod dicimus non illud, qvod fœminæ oblatum eſt; Uti enim alias feudum commune fœmineum illud dicitur, qvod fœminæ primitus conceſſum eſt, ſed argumento *2. Feud. 30. & 50.* illud ex oblatis feudis agnoſcimus pro fœmineo ſtricte ita dicto, qvod fœmina tertio alicui ſive mari ſive etiam fœminæ obtulit, & ab eo iterum in feudum accepit: cum enim hoc feudum primitus acqviſivit fœmina, fœmineum ſit neceſſe eſt; Si vero mas & fœmina ſimul feudum obtulere, mixtum illud, hoc eſt ex parte fœmineum efficietur. Qvamvis & hic non negamus, ſi feudum fœmineum late accipiatur, & illud pro feudo oblato fœmineo haberi poſſe, qvod ea conditione oblatum cumqve illo pacto iterum acqviſitum fuit, ut fœminæ in illo ſuccedant, junge Knich. *de Veſtit. pact. p. 2. c. 3. num. 24.*

§. XI.

Referri etiam poteſt in cenſum feudorum oblatorum

rum impropriorum *Feudum Advocatiæ*, ſi qvis nempe certas terras alicui Eccleſiæ ita donat, ut ſibi jus Advocatiæ in feudum ab Eccleſia iterum recipiendum reſervet; Qvid vero ſit jus Advocatiæ vid. Mager. *tract. de Advocatia armata.*

§. XII.

Non autem putandum eſt hic omnia feudorum oblatorum impropriorum genera, qvæ hujus claſſis ſunt, enumeraſſe, poſſe enim variis modis per adjecta pacta feudorum communem naturam qvaſi alterari nemo ibit inficias, qvæ omnia recenſere nimis longum, imo impoſſibile foret; Hoc unicum ſolum hic, anteqvam hoc caput deſerimus, lubet adhuc qværere, an etiam feudum oblatum emtum ad impropria feuda ſit referendum? Finge enim Titium Vaſallum accepta pecunia rem ſuam allodialem Sejo obtuliſſe, & ab eo in feudum recepiſſe. Vel finge Titium Vaſallum patrocinii cauſa hoc feciſſe, & certa data pecunia rem propriam in feudum recepiſſe, hoc enim duplici caſu poteſt dici feudum oblatum emtum vel a domino vel a Vaſallo. Reſpondemus enodationem hujus qvæſtionis totam dependere ex evolutione æqvivocationis, qvæ latet in vocabulo feudi improprii: Si enim omne illud feudum, qvod non gratis conceſſum eſt, habes pro feudo improprio argumento *2. Feud. 23.* tunc non ſolum feudum oblatum emtum ſed in genere omne feudum oblatum cum ſupra allegato Wumſero pro improprio erit habendum, ſin vero, uti communiter ſolent Feudiſtæ, hunc artis terminum ita accipias, ut per illum denotes Feudum a communi Feudorum vel natura vel eſſentia abiens.

abiens, Feudum oblatum emtum nec primi nec ſecundi modi, pro feudo improprio habendum erit, cum communem feudi & eſſentiam & naturam retineat. *jung. poſt multos allegatos* Dn. Struv. *c.4. a.15.*

CAP. III.

De

Perſonis, qvæ feudum offerri poſſunt, & qvibus offerri poſſit.

§. I.

ORdo jam exigit, ut ad perſonas accedamus, illæ in duplici ſunt differentia, aliæ enim ſunt qvæ feudum juſte offerre, aliæ qvæ oblatum acceptare poſſunt: Priores perſonas qvod attinet, omnis ille feudum offerre poterit, qvi alienandi & ſeſe ad ea, ad qvæ Vaſallus obſtringitur, obligandi habet poteſtatem. Cum enim feudi oblatio fit non tantum ſpecies aliqva alienationis, ſed etiam, ſi poſtmodum recipiatur res in feudum, ad hoc conſtituendum contractus feudalis concurrat, in offerente utraqve & alienandi & contrahendi potentia tam naturalis qvam moralis reqviretur: Qvæ cum regulariter rerum ad ſingulos ſpectantium dominis competat, & hi pro perſonis ad offerendum feudum aptis habendi ſunt.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Qvod ut expliremus clarius non erimus reprehendendi, ſi has perſonas paulo penitius conſideremus: Et qvid enim maſculum, ſi cœtera ſunt paria feudum offerre poſſe, qvis dubitabit? De fœmina vero major poterit eſſe dubitandi ratio, qvod illæ, utpote ineptæ ad malitiam regulariter ſint feudorum incapaces. Verum licet ab initio & ex primæva feudorum origine hæc obtinuerint, tamen poſteriora tempora de hoc veterum rigore multa remiſerunt, & fœminas ſupra dicta dubitandi ratione non obſtante ad feuda admiſerunt *1 Feud. 8. 2. Feud. 24.* Ex qvo conſeqvitur, ſi fœmina de cœtero liberam habeat alienandi poteſtatem, poſſitqve conſentire, etiam poſſe offerre feudum: Cum vero de jure Saxonico Curatoris conſenſus ad alienationem ſit neceſſarius, & hic idem adhiberi debebit, conſtituetur autem hoc caſu cum fœmina feudum offert, ſicut jam ſupra *c. 2. §. 10.* monitum, feudum fœmineum, *argt. 2. Feud. 30.*

§. III.

Sed qvid dicemus de impubere & minorenni, an & illi poterunt offerre feudum? Ad hanc qvæſtionem diſtincte erit reſpondendum; Et qvidem impuberem qvod ſpectat, triplicis ille conditionis eſt, vel infans, vel infantiæ proximus, vel pubertati proximus; Infans ille dicitur impuber, qvi annum ſeptimum nondum complevit; Qvi vero ſeptennium ſuperavit, infantiæ proximus eſt; qvousqve autem hæc ætas duret & incipiat ætas pubertati proxima, de eo inter interpretes nondum convenit, nos nemini de hac re mo-

re movebimus litem, ſed ſeqvemur communem Accurſii & ſeqvacium opinionem, reliqvum poſt infantiam ſeptennium in mare, vel qvinqvennium in fœmina in duos ſemiſſes dividentium, qvorum prior conſtituit ætatem proximam infantiæ, poſterior proximam pubertati, Excellentiſſimus Dn. Mollenbecius olim Hoſpes & Præceptor meus in Gieſſenſi Academia, jucunda memoria dilectiſſimus *cent. 1. div. 22. num. 2.* jung. Vinn. *ad* § *9. inſt. de inutilib. ſtipulat.* Rennemann. *j. R. G. m. 1. D 2. theſ. 8. ſeqq.* Ut ad rem redeamus, infans, cum non multum diſtet a furioſo, nullumqve habeat intellectum, *d. § 9. inſt. de inutil. ſtipul.* ipſe feudum offerre non poterit; An vero ipſius nomine poſſit hoc facere tutor? Qvæſtionis eſt, ubi putamus, diſtingvendum eſſe, an oblatio feudi, translationem dominii directi continens, ſit mere gratuita & incidat in terminos donationis; an vero ex urgenti cauſa fiat: Priori caſu tutor feudum offerre non poterit, cum omnis donatio ipſi ſit interdicta *l. 1. & 2. §. 3. l. 13. §. ult. l. 16. C. de adminiſtrat. tutor.* Carpz. *j. F. R. G. p. 2. C. 11. d. 48.* Poſteriori vero non omnis offerendi poteſtas videtur tutori ademta eſſe, modo eas, qvæ in alienatione rerum pupillarium neceſſariæ ſunt, ſolennitates adhibuerit, nempe ut cauſa alienationis a magiſtratu competente cognoſcatur, & decretum interponatur *arg. t. t. de Rebus eorum, qvi ſub tutel. vel cura ſunt.* illa, qvæ de infante dicta ſunt, etiam in furioſo obtinent; utpote qvi infanti plane eſt ſimilis *d. §. 9. inſt. de inut. ſtip. jung. l. 5. de R. J.* In infantiæ proximo ob benigniorem juris interpretationem; In pubertati proximo ob aliqvem qvem jam habet intellectum cum receptum ſit, ut negotia, tutore tamen authore, gerere poſſint, *d. §. 9. inſt. de inut.*

 ſtip.

ſtip. & hi feudum adhibita tutoris authoritate magiſtratusqve decreto, ſi cauſa ſufficiens ſubſit, offerre poterunt; Simile ſtatuo in minore habente curatorem, cujus eo caſu conſenſus intervenire debet, ſi vero curatore deſtituatur, ipſe qvidem offerre poterit, adhibito tamen magiſtratus decreto jung. Dn. Struv. *S. j. F. c. 5. a. 4.*

§. IV.

In muto vero ac ſurdo, ſive diſcretim ſive conjunctim talis ſit, diſtingvendum erit, an habilis qvodammodo ſit ad gerenda negotia nec ne? priori caſu & feudum acqvirere & etiam offerre poterunt, poſteriori curator ipſis dandus eſt, & ad oblationem æqve uti in pupillo decretum magiſtratus reqviretur *arg. t. t. de rebus eorum qvi ſub tutela &c.* conf. *Blaſius Michalor. tract. de cæco, ſurdo & muto c. 31. ſeqq.* Dn. Struv. *Synt. j. F. c. 5. a. 4.*

§. V.

Sed qvid in prodigo juris erit, illi cum ſit rerum ſuarum adminiſtratio & multo magis alienatio interdicta, qvi poterit feudum offerre? Si tamen ea concurrant reqviſita, qvæ ſupra in oblatione impuberis reqvirebamus, & prodigi res in feudum offerri poterint, eis autem omiſſis oblatio erit ipſo jure nulla, ſed qvid ſi juramento illa ſit confirmata, an non ſaltem ex principiis juris Canonici valebit? In minore juramentum ſupplere debitas de jure Civili ſolennitates, & eo caſu in oblatione decreto non eſſe opus, ſatis probat *auth. Sacramenta puber. C. ſi adverſus vendit.* Qvod an etiam ad prodigum extendi poſſit, ſubſiſto, Magnificus Dn. Lüncker, Patronus meus, omni obſervantia colendus

lendus in ſuis Protribunalibus penſo 4. delibat. 13. cum allegato Franciſco de Caldas & Azorio in negativam inclinat, rationes ibi breviter & nervoſe adductas ipſe videre poteris.

§. VI.

Accedimus jam ad filiumfamilias, & an ille feudum offerre poſſit qværimus? Et putamus hic, uti in aliis alienationibus, diſtinctionem peculiorum eſſe obſervandam; Cum jam in peculio caſtrenſi & qvaſi caſtrenſi liberam adminiſtrandi & alienandi poteſtatem habeat *l.15. §.1. de peculio l.2. ad SCtum Macedon. l.6. pr. C. de bonis qvæ liberis Nov. 123. C.19.* & de illo feudum offerre poterit, ſimile qvid de peculio adventitio extraordinario judica arg. *N.118. c.1. §.1.* Profectitium peculium totum ad patrem pertinet *§.1. inſt. per qvas perſonas* &c. hinc bona ad illud ſpectantia a filio in feudum per oblationem converti non poterunt: Peculium adventitium ordinarium qvod attinet, in qvo filius proprietatem, pater vero uſumfructum habet, de eo dubitari poſſet, an non filius patre invito illud ſive totum ſive ex parte in feudum offerre poſſit? Domino enim proprietatis invito etiam uſufructuario alienandi & per conſeqvens in feudum offerendi poteſtatem competere ſalvo tamen manente uſufructu colligitur *arg. l.25. de V. S.* Verum ad filiosfamilias ratione jam dicti peculii hæc generalis juris diſpoſitio non pertinet, cum conceſſio proprietatis filio facta ipſi non tribuat jus rem absqve voluntate patris alienandi l.ult. §.5. verſ. *Filiusfamilias C. de bonis qvæ liberis* &c. ex qvo conſeqvitur, ſi filiusfamilias ex bonis his adventitiis

feudum offerre velit, qvod patris voluntatem adhibere debeat.

§. VII.

Anteqvam hunc locum linqvimus & accedimus ad perſonas, qvibus feudum offerri poſſit, aliqva de qvibusdam perſonis publicis erunt inſerenda; Et qvidem poſſet primo loco qværi, an ille, qvi ſummam in republica aliqva poteſtatem obtinet, feudum offerre poſſit? Cujus qvæſtionis deciſio ex eo dependet, an ſummus in Civitate imperans alienandi, & an ſe ad fidem & ſervitia obligandi habeat poteſtatem: Ad qvam qvæſtionem ultimam, ut primo loco reſpondeamus, nos non intromittemus in illam ſatis arduam & difficilem qvæſtionem, an nexus feudalis cum libertate civili ſtare poſſit? Qvi ejus deciſionem deſiderat, adeat Grotium *de J. B. & P. lib. 1. cap. 3. n. 23. ibidem Excellentiſſimum* Dn. Simonem, *Fautorem noſtrum colendum*, & latius Arniſæum *de jure Majeſtatis lib. 1. c. 5.* non per omnia Grotio conſentientem. Nos hic cum communi Feudiſtarum ſchola ſupponemus jam, Vaſallagium non importare ſubditionem, & majeſtatem cum vinculo vaſallitico in uno eodemqve ſubjecto morari poſſe, qvo ſuppoſito, nihil deprehendimus obſtare, qvo minus Rex aliqvis tertio alicui ſeſe & ad fidem & ad ſervitia, ſi capitulationes & alia non obſtent, obſtringere poſſit, qvanqvam non diffitear, tali caſu de dignitate regia aliqvid delibari. An autem poteſtatem alienandi habeat Rex, ex poteſtate in rem offerendam Regi competente dimetiendum erit; poſſe enim illum rem ſuam privatam, qvam in pleno habet patrimonio, in eudum offerre, qvis dubitabit? Simile qvid de ipſo regno

vel

vel aliqva ejus parte ſi patrimoniale ſit, judicandum erit. Si vero regnum non pleno habetur jure, conſenſus Populi & agnatorum, ſi in eorum præjudicium ob jus jam qvæſitum tendit alienatio, adhibendus eſt; Niſi forſan caſus ſummæ neceſſitatis debeat excipi, cum aut Regi & regno ſit pereundum, aut illud dedendum, & in feudum iterum accipiendum, qvæ omnia latius hic non excutiemus, poteſt interim jungi ſupra laudatus Grotius *lib. 2. c. 6. num. 3. ſeqq. & ibi Commentatores Dn. Zieglerus, Dn. Simon & alii;* Exempla oblatarum terrarum adfert Arniſæus *d. l. num. 6.* dum dicit Normannos Calabriam & Apuliam Pontifici Romano in feudum obtuliſſe, indeqve ex parte ortum eſſe jus dominii directi, qvod hodienum in Regnum Neapolitanum, cujus hi Ducatus partes ſunt, Pontifex Romanus prætendit.

§. VIII.

De Perſonis Eccleſiaſticis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Præpoſitis, reliqvisqve prælatis ſecundo loco qværi poſſet, an (non de bonis ſecularibus, & propriis, de illis enim nulla dubitandi ratio eſt) de bonis Eccleſiæ feudum offerre poſſint, ita, ut ſucceſſores eorum acta rata grata habere debeant? Ad qvam qvæſtionem reſpondemus, cum uti inferius probabitur actus ille, qvo feudum oblatum plene conſtituitur, & alienationem rerum & contractum feudalem in ſe contineat, ratione utriusqve aliqvæ in perſona Eccleſiaſtica reqvirentur ſolennitates; qvæ ratione prioris ſint neceſſariæ, commodius inferius, ubi de rebus, qvæ in feudum offeruntur, ex profeſſo nobis agendum eſt, recenſeri poterunt; Ratione autem poſterioris

reqviretur, ut in utilitatem aut neceſſitatem Eccleſiæ oblatio fuerit facta, vel Capitulum conſenſerit. Succeſſor enim, qvi hic jure proprio ſuccedit, extra hæc reqviſita ad contractum feudalem ſervandum non obligabitur arg. *c. 4. tx. de his quæ fiunt a Prælato &c. junge inferius c. 4. §. 5.* & Prælaudatum Dn. Bechmannum in uſu feudali practico *Ex. 1. pag. 3.*

§. IX.

Duces, Comites, Barones, ipſos Ducatus, Comitatus, Baronias, ſi pleno dominio poſſideantur in feudum offerre poſſe non videtur dubitandum. Hoc interim quæſtionis eſſet; An Dux vel Comes aliqvis Imperii partem ſui Ducatus vel Comitatus allodialem, poſſit Regi alicui extraneo offerre in feudum. E. gr. Comites Naſſovii inter alias terras tenent Comitatum Saræpontanum, hic, excepta arce Saræpontana (qvæ feudum Metenſe eſt) totus allodialis eſt, & pleno (juribus imperii noſtri & ejus jurisdictione exceptis) habetur dominio, vident dicti Comites & experientia per totum hoc ſeculum edocti didicere, ſibi in finibus Galliæ poſitis, parum ab imperio præſidii accedere, hinc ut ſe item ſua conſervent Comitatum Saræpontanum Gallo in feudum offerre volunt, qværitur an hoc poſſint? Qvæſtio ardua eſt, & cui decidendæ nos ſponte agnoſcimus impares, interim aliqvid tentabimus, aliis, qvi juris publici ſtatusqve imperii ſunt magis periti, plenam deciſionem relinqventes. Si leges noſtras publicas inſpicimus, nullam nec prohibitivam nec permiſſivam de hac re inveniemus, ex qvo videbatur concludendum eſſe, Libertati Statuum Imperii hoc conceſſum eſſe, ſed diſtinctius expedien-

dicendum eſt hoc negotium: Nempe diximus ſuperius, & in fine ex profeſſo tractabimus in feudi oblati conſtitutione, & alienationem aliqvam & contractum feudalem qvo Vaſallus fidem & Obſervantiam, Dominus viciſſim fidem & protectionem promittit, contineri. Jam cum ſupra in formando qvæſtionis ſtatu ſuppoſuerimus, offerentem Comitatus plene eſſe dominum, qvod prius attinet, non poterit non inde ſeqvi, ipſum etiam alienare valide poſſe, ſed objicies imperii Germanici intereſſe, ne ad exterum in caſu feudi aperti devolvantur imperii provinciæ, & illud ita imminuatur? Reſpondemus hanc alienationem, non poſſe, niſi ſalvis juribus imperii & intelligi & fieri, ſiqve contingat caſus, ut feudum Domino aperiatur, illum tamen non plus juris qvam Vaſallus habebat, accipere poſſe, imo ſi tali alienatione damno Imperium adficiatur, nullam eam eſſe non veremur adſerere: Contractum vero feudalem qvod attinet, cum ille inſtar fœderis inæqvalis obtineat jung. Grot. *ſupra citato loco*, ejus validitas a poteſtate faciendi fœdera dependebit. Qvam cum hodie poſt pacificationem Oſnabrugenſem. *vid. ejus art. 8. §.* Gaudeant etiam cum exteris indubitate habent Status Imperii, hunc qvoqve contractum regulariter celebrare, conſeqventer feudum extero offerre poterunt. Hæc interim *ex dicto §.* addenda erit limitatio, ne a Vaſallo fides promittatur contra Imperatorem & Imperium, fiatqve talis oblatio ſalvo per omnia juramento, qvo qvisqve Imperatori & Imperio obſtrictus eſt: Fatendum qvidem hanc Statuum libertatem, ſi principia Politica ſpectes, cum obligatione ſubditi ægre ſtare poſſe; Sed qvoniam vinculum noſtræ Reipublicæ nimis laxum eſt (liceat mihi uti verbis Ludol-

phi

phi Hugonis, *Magni illius Sereniſſimi Ducis Brunſvvigo-Cal-lenbergenſis Conſiliarii & per multum temporis ad Comitia moderna Legati, jam vero domum revocati in ſua Diſputatione Inaugurali Helmſtadii habita de Statu Regionum German. c. 3. §. 16.*) ut imperii tutelæ firma ſatis fiducia inniti non poſſimus, inſtar ſecundæ navigationis eſt, exterorum ope ſecuritati proſpicere. Qvemadmodum igitur medicina ſano qvidem corpori nocet, ægro autem neceſſaria eſt, ſic fœdera illa cum exteris (idem de noſtra oblatione judica:) quaſi emplaſtra qvædam langvidæ Reipubl. cenſenda ſunt, qvibus ſi illa recte conſtituta eſſet, foret abſtinendum, hoc autem rerum ſtatu neceſſaria ſunt: hæc ille. Sed hæc omnium accuratiorum judicio lubentes ſubmittimus.

§. X.

Superſunt civitates, aliæqve id genus univerſitates, de qvibus etiam qværi poteſt, an in numerum perſonarum feudum offerre volentium referri poſſunt? Reſp. breviter ſi in alienatione rerum ad Civitates pertinentium neceſſaria ſint obſervata, adſuntqve illa reqviſita, qvæ in obliganda civitate & univerſitate leges reqviſivere, & ipſæ uti feudum dare, ita & offerre poterunt *arg. l. ult. C. de vendit. rerum Civ. lib. XI. jung.* Gœd. *de Reb. Cred. c. 2. n. 150. & ſeqq.* Nicol. Loſæ *tract. de jur. univerſ. p. 3. c. 5.* Mev. *ad ius Lubecenſ. p. 2. tit. 3. n. 28.*

§. XI.

Hæc de perſonis, qvi offerre feudum poſſunt, accedimus jam ad alterum capitis noſtri membrum, qvod eſt de

Digitized by Google

de perſonis, qvibus feudum offerri poſſit; erimus autem in eo pertractando breviores, qvia prius præter opinionem longius excrevit, ne terminos diſputationis excedamus; generatim autem dicimus illi perſonæ feudum offerri, qvæ habet poteſtatem dominium directum acqvirendi, & contractum feudalem celebrandi, ſeu generatim, cui rerum commercium non eſt interdictum.

§. XII.

Ut autem & hæc ſpecialius qvodammodo explicemus, dicimus & hic nihil intereſſe. 1. an mas ſit an fœmina, cui feudum offertur, & qvidem de illo nulla eſt dubitatio; hæc vero cum domina directa, vel experientia teſte eſſe, & contractum feudalem celebrare poſſit, nec ab hoc jure excludetur; nullusqve dubito, qvin illis, qvi vel antiqvitates Germanicas vel archiva rimantur, occurrent exempla feudorum fœminis, in dignitate præprimis Eccleſiaſtica conſtitutis, oblatorum, nobis in talia inqvirere occaſio hactenus defuit. 2. An in dignitate perſona illa ſit conſtituta, an ſit plebeja, hæc enim uti feudum dare vid. Dn. Struv. *d. c. 5. n. 31. n. 3.* ita & ipſis, ut dent, res offerri poteſt.

§. XIII.

Infanti & furioſo feudum offerri non poterit, ſed ſi offeratur acqvirent illud per Tutorem aut Curatorem, infantiæ vero proximus, Pubertati proximus, minor & prodigus, Feudum oblatum ipſi qvidem ratione dominii directi acqvirent, ſed ut ad fidem reciprocam Vaſallo offerenti ex contractu feudali teneantur, Autoritate Tutorum vel

D Cura-

Curatorum conſenſu erit opus, arg. *eorum quæ tractat.* Dn. Struv. *Syntagm. J. Civ. Ex. 6, th. 37. & ſeqq.* qvæ omnia ex communibus juris Civilis locis ſupplenda, & ex parte a nobis ſuperius in §. *3. cap. 3.* explicata ſunt.

§. XIV.

Succedet jam filiusfamilias, de qvo qværimus, an illi etiam feudum offerri poſſit, qvæ qvæſtio ſi cœtera ſint paria, videtur absqve ulla hæſitatione eſſe adfirmanda. Magis vero videtur poſſe dubitari, ad qvodnam peculium dominium feudi oblati directum pertineat; De feudo communi acqviſito a Vaſallo Iſernia *cap. un. de his qvi feudum dare poſſunt n. 13. Vultejus de Feud. lib. 1. c. 4. n. 8.* generatim adfirmant, illud ad peculium Caſtrenſe pertinere; cum regulariter ob ſervitia militaria ſeu militiam concedatur, qvo argumento ductus aliqvis, etiam adfirmare poſſet, Dominium directum etiam pertinere ad peculium caſtrenſe, cum maximam partem feuda ob protectionem vel Advocatiam armatam offerantur; Sed huic & illi adſertioni generatim prolatæ vix tuto fidas, partim qvod feudum non ob militiam ſolummodo, ſed etiam alias ob cauſas & concedatur & offeratur, partim vero & poriſſimum qvod omnia illa bona, qvæ intuitu militiæ acqviſita ſunt, non videantur ad peculium caſtrenſe referri poſſe, ſed qvæ intuitu militiæ præſentis. Nam in *l. 11. ff. de peculio* pro bonis caſtrenſibus ea tantum habentur, qvæ *in militia agens* acqviſivit, *& qvæ niſi militaret, & ſine militia* non erat acqviſiturus *jung.* Bocerum. *De bello c. 16. n. 18.* Excellentiſſimum Dn. Grashoff Præceptorem meum in Alma Ludoviciana fideliſſimum, *Diſput. Inaugural. Helmſtad. habit. de cauſis*

feuda-

feudalibus ſection. 3. Monebit itaqve reliqvum feudum oblatum ratione dominii directi ad bona Adventitia Ordinaria, in qvibus filius proprietatem, pater uſumfructum habet, regulariter referendum eſſe, niſi intuitu militiæ præſentis vel ipſius Patris oblatum ſit, priori enim caſu ad Caſtrenſe, poſteriori ad profectitium pertinebit §. *1. Inſt. per qvas perſon. cuiqve acqviritur l. 6. C. de bonis qvæ liberis &c. arg. l. 21. ſeqq. ff. de uſufruct. l. 10. § 6. in fin. de vulg. & pupill. ſubſt. d. l. 11. ff. de peculio.*

§. XV.

Ex perſonis publicis & in dignitate poſitis primo loco occurrit, Invictiſſimus noſter Imperator; de qvo an ipſi, ut Imperatori feudum cum effectu offerri poſſit qværitur, qvæ qvæſtio prima fronte videtur eſſe Domitiana ac omni ratione dubitandi carere; Et ſane ſi ſolummodo dominium directum acqvirendum eſſet, ſimpliciter forſan adfirmari poſſet: Verum cum in hoc negotio inſtar aliqvod fœderis inæqvalis concurrat, poteſtas feudum oblatum acqvirendi Imperatori competens, tota a poteſtate faciendi fœdera erit deducenda, jam ex Pacificatione Osnabrugenſi *art. 8. §. Gaudeant* &c. novimus fœdera ab Imperatore non ſolitarie fieri poſſe, ſed cum conſenſu Statuum Imperii eſſe pangenda. Eqvidem Capitul. Leopold. *art. 10.* ſecuta ex parte capitulationes anteriores qvodammodo reſtrinxit, & Electoribus aliqvid juris in hoc negotio præ reliqvis Statibus iterum tribuit; Ex qvo colligendum eſſe videtur, qvod Imperator feudum oblatum absqve conſenſu Statuum Imperii, vel vel caſu ita exigente ad minimum absqve conſenſu Electorum acceptare neqveat, Interim

 diſtin-

diſtingvendum arbitror inter Oblationem, qvæ fit ab Statu vel Subdito Imperii, & Oblationem qvæ fit ab extraneo: Priorem qvod attinet cum jam Imperator ante oblationem ad defendendum Statum vel Subditum obligatus ſit, nullum Imperio exinde videtur poſſe exoriri præjudicium, & hinc acceptatio ab Imperatore fieri; qvod magis locum inveniet in oblatione, ut ita illam nominem, tacita, qvando nempe Status aliqvis petendo renovationem inveſtituræ & ita recognoſcendo Ducatum Principatum, Comitatum &c. terras aliqvas ante allodiales, Ducatui &c. conjunctas ſimul in feudum recognoſcit, qvod in Imperio factum eſſe concedent illi, qvi norunt Ducatus, Landgraviatus, Marchionatus, &c. non tam amplos olim fuiſſe uti nunc ſunt, ſed acceſſione comitatuum aliarumqve terrarum ex parte etiam allodialium fuiſſe inſigniter auctos, & poſtmodum una cum Ducatu & ſub ejus titulo tanqvam partes ſimul in feudum vel expreſſe vel tacite recognitos. In oblatione vero ab extraneo facienda ſupra data reſponſio, de adhibendo Statuum Imperii vel Electorum conſenſu, locum inveniet; Qvod omne interim, cum nullum hic ſciamus præeuntem, Doctiorum judicio ſubmittimus eorumqve informationem exſpectamus.

§. XVI.

Status Imperii qvod attinet tam Eccleſiaſticos qvam Seculares, cum majorem circa fœdera habeant poteſtatem, qvam ipſe Imperator *d. §. Gaudeant in fin.* illis etiam facilius feuda offerri poterunt, ſed ſemper cum illa reſtrictione, ne promiſſio fidei reciprocæ a Domino facienda in perniciem Imperatoris & Imperii tendat, ſed hanc materiam

riam latius perſeqvi anguſtia pagellarum, qvibus nos incluſimus, prohibet.

CAP. IV.

De

Rebus, qvæ in feudum offerri poſſunt

§. I.

ABſolutis iis, qvæ pro inſtituti ratione de perſonis feudum & offerentibus & acceptantibus dicenda erant, accedimus jam ad res, qvæ in feudum offerri poſſunt. De qvibus hanc generalem conſtituere poſſumus regulam, omnem omnino rem ſive mobilis ſive immobilis ea ſit, ſive corporalis ſive incorporalis alienari non prohibitam in feudum vel proprium vel improprium offerri poſſe.

§. II.

Diximus (1) nihil intereſſe ſive mobilis ſive immobilis res ſit, qvæ in feudum offerri vult, licet enim ex *2. Feud. 1. §. ult.* ſatis edocti ſimus; feudum non niſi in rebus ſoli aut ſolo cohærentibus, aut in iis, qvæ inter immobilia connumerantur poſſe conſiſtere, hoc tamen de feudo duntaxat proprio intelligendum eſt; nos autem, cum hic a feudo proprio & improprio abſtrahamus, non

D 3 poſſu

Digitized by Google

poſſumus non etiam rem mobilem pro feudi oblati generatim tamen conſiderati objecto habere, qvamvis non negemus, ſed ſuperius in feudi diviſionibus ſumus confeſſi, feudum tale a communi feudorum eſſentia abire, & improprium fieri.

§. III.

Dicimus (2) nihil intereſſe ſive corporalis ſive incorporalis res ſit; qvæ in feudum offerri vult, de corporali nemo ut arbitror dubitabit, incorporalem vero rem æqve uti corporalem feudi objectum eſſe poſſe, experientia optima rerum magiſtra ſatis commonſtrat, utpote qvæ docet, res incorporales non ſolum una cum corporalibus, & ut aliqvid his adjunctum in feudum dari poſſe, veluti ſi jurisdictio una cum caſtro, jura territorialia una cum Ducatu, Principatu, Comitatu &c. in feudum concedantur, ſed etiam ſolitarie & per ſe, veluti ſi jus Decimandi, jus Patronatus, jus Venandi, absqve ulla re corporali, cui inhærent, alicui vaſallo collata ſunt. Si jam in feudum dari poſſunt, poſſunt etiam ſi cœtera ſint paria in feudum offerri.

§. IV.

Sed (3) reqviſivimus ad rem, qvæ in feudum offerri vult, ut non ſit prohibita alienari. Sunt autem aliæ res prohibitæ alienari propterea, qvod in totum commerciis hominum ſint exemtæ, aliæ autem ob ſingularem qvandam rationem: Ex poſteriorum numero ſunt illæ res, qvæ per actum ultimæ voluntatis, qvalis eſt fideicommiſſum, vel per actus inter vivos & conventiones, vel etiam

etiam ob ſingularem ſuam naturam ita ſunt adfectæ, ut domino poteſtas eas alienandi ademta ſit Dn. Struv. *c. 7. a. 10. n. 11.* In totum vero commerciis hominum inter alias exemtæ ſunt res ſacræ & religioſæ, hinc illæ omnes in feudum offerri neqveunt, niſi dicere velimus, ſi univerſitas aliqva veluti Ducatus, Comitatus, Civitas, in feudum offeratur, res, qvoqve ſacras & religioſas una ſimul offerri, Qvod ni fallor, de Ducatibus, Comitatibus Auguſtanæ Confeſſioni addictis, qvorum poſſeſſores ſacrorum qvoqve & Epiſcopalia jura habere conſtat, ſi Imperatori aut principi offeratur non videtur eſſe dubitandum jung. Dn. Eyben. *Elect. feud. c. 10. §. 2.*

§. V.

Cum rebus ſacris non ſunt confundendæ res Eccleſiaſticæ, illæ enim cum non per omnia ſint hominum commerciis exemtæ, etiam in feudum offerri poterunt, modo Eccleſiæ utilitas aliave juſta cauſa id ſvadeat, adſitqve Capituli vel Prælati conſenſus *1. F. 1. & 6. 2. F. 35. c. 8. n. x. de rebus Eccleſiæ alienam &c.* Sed qvid dicemus de rebus Eccleſiaſticis antea qvidem in feudum oblatis, ſed poſtmodum ad Eccleſiam ratione dominii directi iterum reverſis, an has absqve ſuperius recenſitis ſolennitatibus, alii alicui in feudum offerre liceat, ita videtur ſtatuendum eſſe *arg. 1. F. 1. & 6. c. 2. x. d. Feud. Gail. 2. O. 161.* Cum enim res in feudari ſolitas propterea in feudum absqve ſolennitatibus concedere licet, qvod in illis Eccleſiæ utilitas jam ante approbata & ſemel datus capituli adſenſus ſufficere perpetuove durare intelligatur, eadem autem ratio in feudis offerri ſolitis locum inveniat; eadem ut obtineat juris

ris diſpoſitio neceſſe eſt. Inter res Eccleſiaſticas a canoniſtis referuntur *Decimæ* imo a Petro Gudelino *lib. 6. c. 13.* de jure noviſſimo vocantur ſanctius qvoddam poſſeſſionis genus, & hinc magis, qvam aliæ res Eccleſiaſticæ a commerciis hominum exemtæ habentur, communis interim diſtinctio eſt inter decimas, qvæ jam ante tempora Lateranenſis Concilii in manibus Laicorum fuere, & inter alia, qvæ poſtmodum ad Laicos voluere transferri. Vid. Dn. Struv. *c. 6. a. 4. n. 3.* priora erunt objectum aptum ad feudum oblatum, poſteriora non æq;, niſi forſan alii Clerico ſeu perſonæ Eccleſiaſticæ offerantur, qvo caſu prohibitio Lateranenſis Concilii ceſſaret, Proteſtantes qvod attinet, cum illi decreta Pontificia ſpernant, nec huic de non alienandis in Laicos decimis locum concedent, hinc apud illos hæ facilius in feudum offerri poterunt.

§. VI.

Non ſolum autem res ſingulæ, ſed etiam univerſa bona mobilia & immobilia præſentia & futura ſalva tamen filiabus legitima *tit. C. d. inoff. donat.* Roſenthal. *d. feud. c. 6. n. 29.* in feudum offerri poſſunt, exemplum egregium adfert Dn. Struv. *d. c. 7. a. 10. n. 11.*

§. VII.

Bonorum Univerſitates Ducatus, Comitatus, tam corpora qvam jura in ſeſe continentes etiam noſtræ oblationis objecta non inepta ſunt; Exempla oblatorum ejusmodi feudorum in Burggraviatu Cappelndorfenſi & Comitatu Waldeccenſi invenies apud Rennem. *J. R. G. M. 4. D. 4. th. 7. lit. a.* & Dn. Eyben. *c. 10. §. 14.* Qvod ſi fiat jurisdictio

Digitized by Google

dictio territorialis & huic conjuncta regalia tam majora qvam minora ſimul oblata erunt, qvæ oblatio ſi Imperatori fiat, & ab eo feudum cum regalibus recipiatur nihil habet dubii, ſi tamen aliis, videbatur eam ob cauſam de hac dubitari poſſe, qvod Regalia (ſolo vocabulo hoc indicante) feuda non niſi ab imperatore concedi poſſint, ſed ſalva res eſt; in hoc enim caſu nullum Regale de novo conceditur, ſed univerſitati allodiali oblatæ dignitas regalis jam qvaſi inhæret, cumqve ea Principi vel alii alicui inferiori offeratur, & ab eo, ut feudum regale, iterum recipitur. Dn. Eyben. *a. p.* §. 24. Non ſolum autem ſuperioritas territorialis, cum connexis & regulariter conjunctis Regalibus, tanqvam aliqvid rei corporali adhærens in feudum offerri poteſt, ſed etiam ſolitarie, imo interdum unum aliqvod regale, qvod a jure ſuperioritatis ſeparabile eſt, huic rei erit aptum; ita *ſæpiſſime* jura venandi, piſcandi, juriſdictio ſuperior, inferior, uti in feudum ſeparatim concedi, ita etiam offerri poterunt. In qvibus omnibus explicandis ne ſimus latiores anguſtia pagellarum prohibet.

§. VIII.

Antеqvam hoc caput concludimus, lubet qværere, An res feudalis iterum in feudum offerri poſſit, qvæ qvæſtio ſe in duas alias reſolvit, nempe an feudum ratione dominii directi a Domino, & an ratione dominii utilis a Vaſallo in feudum offerri poſſit. In qvantum dominium directum ſeu proprietatem attinet, poſſet qvidem prima

Digitized by Google

ſronte videri, offerri illam alii niſi conſentiente Vaſallo non poſſe; cum Dominus dominium directum alienare neqveat Dn. Struv. *c. 13. a. 1.* Verum cum alienatio dominii ſolum propterea ſit prohibita, ne Vaſallo invito contra contractum feudalem alius obtrudatur Dominus, cui fidem & ſervitia præſtare habeat neceſſe; hoc vero caſu offerens Dominus maneat, ipſiqve non vero Domino ſuperiori, cui oblatum eſt dominium, fidem & ſervitia debeat, ceſſabit prohibitionis ratio, & conſeqventer oblatio talis valida erit. Deinde ſi Vaſallo conceſſum eſt ſine conſenſu Domini feudum, alii in ſubfeudum concedere, multo magis oblatio permittenda erit Domino, utpote qvi liberiorem circa ſuum jus qvam Vaſallus habet poteſtatem, Ita Sereniſſimi Haſſ. Landgravii directum dominium Comitatus Waldeccenſis, ex qvo oblatione ab illuſtr. Waldecc. Comitibus facta iſtud acqviſivere Imperatori & Imperio rurſus in feudum ceſſerunt, uti ex Deduct. Heſſen contra Waldeck art. 9. ibiqve in Beylag E. allegat. Dn. Eyben. *d. c. 10. §. 14.* Dominium vero utile, qvod attinet de eo ſimile qvid ſtatui non poteſt; ſi enim res feudalis uti ſubinfeudari ita etiam in feudum offerri poſſet, eveniret, ut Vaſallus circa eandem rem duos acciperet feudi Dominos, jam vero abſurdum & rectæ rationi contrarium eſt, duos idem dominium circa eandem rem & qvidem in ſolidum tenere; deinde cum res feudalis ſit alienari prohibita, prohibita etiam erit in feudum offerri.

§. IX.

In Emphyteuſi vero facilius admittetur hæc obla-

tio

tio. Si enim Dominum Emphyteuſeos reſpicias, cum ille abſqve conſenſu Emphyteutæ Dominium ſuum directum alienare poſſit, Carpz. *p. 2. Conſt. 39. def. 10.* poterit etiam illud in feudum offerre, ſed qvid in ipſo Emphyteuta erit ſtatuendum? De illo aſſerendum videtur, & hunc dominium ſuum utile in feudum offerre poſſe, cum enim ſecundum *l. ultim. C. de jure Emphyteut.* & inter vivos & mortis cauſa alienare poſſit, qvid ni & in feudum poſſit offerre? Sed an Domini conſenſus erit ad hanc oblationem neceſſarius? Subſiſto, videtur tamen eſſe diſtingvendum, an ita fiat oblatio ut res actu tradatur, dominium plenum transferatur, & res poſtmodum iterum accipiatur, hocqve ſimul agatur, ut obligatio ſolvendi canonem transferatur in eum cui res offertur, & hoc caſu conſenſus Domini erit neceſſarius, debebitqve ipſi denunciari, ut novum Emphyteutam, & ab eo promiſſionem canonis recipiat; Sin vero per brevum manum fiat oblatio, & obligatio ſolvendi canonem remaneat penes offerentem, conſenſus Domini non videtur neceſſarius *arg. l. 31. de pignor. junge* Carpzov. *p. 2. C. 25. def. 7. num. 10.* Dn. Struv. Syntagm. juris Civ. *Ex 11. th. 70. in fin.* Si tamen contingat feudum tale oblatum aperiri Seniori, cui feudum oblatum fuit, hic (nempe Senior) Feudum a Domino Emphyteuſeos recipere & laudemium ſolvere debebit.

§. X.

Pauca qvædam *de re aliena* tangenda ſunt, qvousqve

 illa

Digitized by Google

illa in feudum offerri poſſit? Sane hic dominium directum conſtitui poſſe, nemo dicit; Sed ſi offeratur res aliena, transferetur cæteris paribus uſucapiendi conditio, & Dominus dominium directum, Vaſallus utile per poſſeſſionem longi & a lege definiti temporis uſucapiet; Sed an tenebitur de Evictione offerens? Diſtingvunt Doctores, An mediante emtione aliaqve conventione, ex qva qvis regulariter ad evictionem tenetur, offeratur feudum; An vero mediante donatione vel ſimili modo; in qvo ad evictionem qvis obligatus non eſt; Priori caſu teneri offerentem, poſteriori non æqve. Verum licet concedamus maximam partem ſubeſſe in oblatione donationem, tamen cum hæc donatio fiat *ob cauſam futuram*, nempe ut ille cui offertur res, reddat eam in feudum, ſimulqve fidem reciprocam & tutelam per contractum feudalem promittat poſt Roſenthal. Dn. Struv. *d. n. 10, n. 3.* in donatione autem ob cauſam evictio præſtanda ſit. *arg. l. 1. C. de donat. ſub mod.* Dn. Struv. *Synt. J. C. Exerc. 37. theſ. 17.* Franzk. *ad h. t. d. Evict. num. 499.* videtur concludendum eſſe, & hoc caſu, qvo donatio ſubeſt, deberi ab offerenti evictionem præſtari.

CAP. V.

CAP. V.

De
Modis promittendi Feudum oblatum.

§. I.

IN omnibus fere juribus in rem promiſſionem ab actuali conſtitutione eſſe ſeparandam vel illis, qvi a limine jurisprudentiam noſtram ſalutavere, notum eſt; Promiſſio producit ſolummodo jus ad rem & illi oppoſitam obligationem feudum actu offerendi. Conſtitutio autem incluſa acceptatione ſeu acqviſitione vera genvina & proxima juris in rem cauſa eſt; Utraqve in feudo oblato a nobis erit conſideranda. Et qvidem qvantum promiſſionem attinet, illa uti in aliis juribus, ita & in dominio directo fit vel actibus inter vivos vel mortis cauſa.

§. II.

Ex actibus inter vivos huc referre poſſumus (1) *Pactum.* Hoc enim licet de jure Civili non producat obligationem & actionem. *l.7 §4. & 9. ff. d. pactis.* Tamen volunt Doctores noſtri practici, qvod ſi non ex jure Canonico *c. 1. & 3. x. d. pactis*, ſaltim de moribus ex eo detur actio in foro civili efficax. Qvæ ſi vera ſunt, uti vera eſſe teſtatur Vinnius *de pactis c. 7.* Carpzov. *p. 2. C. 19. D. 17.* pacto etiamſi nudo promittetur feudum; Melius

 tamen

tamen & tutius qvis faciet, omnemqve qvæ circa probandos hos mores ſeſe offerre poterit, difficultatem effugiet, ſi adhibeat *ſtipulationem*, eo enim caſu pleniſſime ipſi conſuletur & citra omnem dubitationem feudi oblatio efficaciter & valide erit promiſſa. Ex pactis legitimis huc referenda eſt *donatio*, modus promittendi feuda tam ſimplicia qvam oblata freqventiſſimus, & regularis, qvæ cum non ſit ſimplex, ſed ob patrocinium & defenſionem aliasqve graviſſimas cauſas fiat, inſinuatione non eget Roſenthal. *d. feud. c. 6. concl. 68. n. 25.* Dn. Struv. *d. a. 10. num. 3.*

§. III.

Ex contractibus realibus ad feudi oblati promiſſionem videtur referri poſſe *contractus pignoratitius*, ſi nempe offerens a domino mutuam accipiat pecuniam, & rem ſuam allodialem ſupponat pignori, ſed ita, ut jure pignoris creditor habeat dominium directum, utile autem iterum concedat debitori; qvo caſu feudum oblatum pignoratitium erit conſtitutum, qvæ tamen ſpecies forſan infreqventior eſt, eadem promiſſio etiam per pactum hypothecæ terminis habilibus poſitis videtur poſſe fieri.

§. IV.

Ex contractibus conſenſualibus qvam maxime huc pertinet *Emtio venditio* ſi certa data pecunia dominium directum qvaſi redimatur; videtur tamen interim *contractus ſocietatis* non per omnia eſſe excludendus, finge enim me habere prædium aliqvod per calamitates belli-

cas

cas incultum, nec ſupereſſe ſumtus, qvo iterum coli poſſit, cum tertio talem contractum in eo, qvo ipſi promitto dominium directum una cum qvarta parte annuorum fructuum, ut ipſe certam pecuniæ ſummam in prædium illud colendum impendendam, conferat, hic feudum ni valde fallor erit promiſſum per contractum ſocietatis, unus enim promittit collationem dominii directi, in ſua re conſtituendi, alter collationem pecuniæ, ut lucrum inde ortum dividatur.

§. V.

Ex reliqvis negotiis inter vivos in hanc claſſem etiam referenda eſt *datio in dotem*, ſi vel ipſa uxor, vel ejus pater, vel tertius aliqvis dominium directum in dotem offerat, vel promittat, cum enim per promiſſionem & oblationem in dotem plenum reale dominium alicui concedi poſſit, qvidni etiam ſolummodo directum; deinde & *datio in ſolutum* huc referenda erit, qvæ licet traditionem, & conſeqventer ipſam oblationem & actualem conſtitutionem in ſe contineat, tamen qva titulus dominii translativus eſt, eatenus etiam ad hunc locum pertinet.

§. VI.

Ultimam voluntatem qvod attinet, varii caſus hic veniunt notandi & diſtingvendi; Aut enim (1) Heres qvis inſtitutus eſt in dominio directo, & alteri legatum dominium utile; Aut (2.) aliqvis heres inſtitutus eſt in dominio utili, alteri vero legatum dominium directum; Aut (3.) uterqve heres inſtitutus eſt, ſed in diviſione hereditatis a teſtatore facta ejusdem prædii, uni aſſignatum eſt dominium

Digitized by Google

nium directum, alteri utile. Aut (4.) Heres inſtitutus rogatus eſt, tertio hereditatem deducto, vel in tota hereditate, vel in parte hereditatis dominio directo reſtituere. Aut (5.) Heres inſtitutus eodem modo rogatus eſt, hereditatem dominio utili deducto fideicommiſſario reſtituere. Pro diverſitate horum caſuum diverſæ ad perſeqvendum id, qvod debetur, competent actiones, de qvibus breviter in *cap. ultim.*

§. VII.

Sed objicies (1) Hos modos omnes non eſſe ſolummodo modos jus aliqvod in rem, qvale feudum oblatum eſt, promittendi, ſed etiam conſtituendi, & ſi aditio hereditatis vel agnitio legati accedat acqvirendi *arg. l. 1. C. commun. de legat. §. 2. inſt. eod.* Ergo inepte ad hunc locum referri; Ad qvod reſpondemus, nihil eſſe abſurdi unum eundemqve actum, pro diverſitate reſpectus ad juris conſtituendi promiſſionem ſeu titulum & ad ipſam conſtitutionem referri, hunc locum in priori conſideratione ſolummodo actus ultimæ voluntatis jam enumeratos occupare; ratione poſterioris in cap. ſeqventi de iis agetur pluribus.

§. VIII.

(2) Objicitur, Superius in definitione feudi oblati expreſſe fuiſſe poſitum, qvod feudum oblatum offerat de ſuo patrimonio Vaſallus & iterum ab eo cui oblatum eſt recipiat, in actibus autem ultimæ voluntatis teſtantem offerre feudum; qvæ oblatio cum ante ipſius mortem effectum non habeat non poterit ab ipſo recipi, & per conſeqvens

feu-

feudum oblatum per ultimam voluntatem nec promitti nec conſtitui. Ad qvam objectionem reſpondemus. (1) Nos ſuperius cum communi ſchola a qva abire noluimus, feudum oblatum deſcripſiſſe, interim non diffitemur tertium poſſe rem ſuam tertio offerre, ea lege ut alium inveſtiat, qvod forſan ſpecialem conſtitueret feudi oblati ſpeciem, veluti ſi pater prædium aliqvod offerat, ut filius inveſtiatur. (2) Heres in his negotiis non poteſt haberi pro tertio, ſed qvodammodo eſt perſona defuncti, & in oneribus & commodis repræſentativa. (3) Nihil videtur obſtare qvo minus teſtator, ſi non ipſe offerre poſſit, ſaltem heredem ſuum obligare, ut hic offerat & recipiat, & ita feudum oblatum, ſi non conſtituere, de qvo tamen in cap. ſeqventi dicetur, ſaltem promittere poſſit.

§. IX.

Inter actus ultimæ voluntatis commemoranda etiam eſt donatio mortis cauſa, ſicut enim per donationem inter vivos oblationem poſſe fieri ſuperius eſt dictum, ita etiam mortis cauſa donatio ad promittendum feudum oblatum non erit inepta.

§. X.

Sed an etiam in feudo Exſpectativa ad offerendum poterit concedi? Si ponantur termini habiles non videtur hæc qvæſtio neganda ſed affirmanda eſſe: Qvidni enim poſſit a Vaſallo tertio alicui promitti, jus ſuccedendi in feudi dominium directum, ſi contingat caſus, reverti illud ad Vaſallum: Finge dominium directum tantummodo

ad vitam conceſſum eſſe, vel alio modo non eſſe diuturnum, qva exſpectativæ conceſſione etiam heredes obligabuntur; Qvid in ſucceſſore ſingulari obtineat vid. ap. illuſtrem Dn. Struv. *c. 7. a. 9.* Ubi illa qvæ de exſpectativa communi dicuntur ad hanc noſtram cœteris tamen paribus, applicare poteris; Nos cum ad finem properemus, cogimur eſſe breviores.

CAP. VI.

De

Modis Feudum oblatum conſtituendi & acqvirendi.

§. I.

SI hic vellemus eſſe latiores non foret difficile demonſtrare, qvam varie feudiſtæ, terminis conſtitutionis & acqviſitionis in materia feudali utantur; nos eo non intromittere non poſſumus, ſed ſolummodo de noſtro, qvod præ manibus habemus ſubjecto, notamus; Acqviſitionem feudi oblati eſſe derivativam, & propterea neceſſario præſupponere juris, qvod fuit in eo, a qvo derivatum eſt jus acqviſitum, exſtinctionem, cum autem jus invito auferri neqveat, hujus voluntas vel expreſſa, vel tacita, vel nuda, ſicubi ſufficit, vel certis ſolemnitatibus a jure Civili reqviſitis veſtita, erit neceſſaria; Qvæ cum ita ſint nos per conſtitutionem alicujus juris

Digitized by Google

juris intelligimus illum actum, qvo qvis voluntate vel expreſſa, vel tacita, ſive ſolennis illa ſit, ſive minus tertio alicui acceptanti jus confert; Per acqviſitionem vero illum actum, qvo is, cui jam indicato modo jus collatum eſt, jus illud actu acceptat, & acceptatione acqvirit; Ex qvo patet eſſe hos duos actus correlativos invicem, & nullam poſſe eſſe juris conſtitutionem, qvin ex altera parte ſtatim adſit acqviſitio, & nullam cogitari acqviſitionem, qvin hæc præſupponat, tanqvam correlatum, conſtitutionem; Ubi tamen cave ne vocabulum conſtitutionis ſumas pro ſtatu ſeu eſſentia alicujus rei, uti fit in inſcriptionibus tractatuum qvibus agitur, de conſtitutione jurisprudentiæ, Ethices, Politices, hæ enim hujus loci non eſt, cum non ſolum cauſam efficientem, de qva hic, ſed etiam alias includat.

§. II.

Ne autem in limine aberremus, diſtincte acqviſitio & conſtitutio feudi oblati ſunt conſideranda. Duplex enim hic intervenit negotium, per oblationem & ſecutam acceptationem acqviritur domino dominium plenum, a qvo deinde per ſubſeqventem inveſtituram ſeparatur utile & retinetur directum, ſimulqve jura ad rem & obligationes utrinqve conſtituuntur, & licet ab initio noſtræ diſputationis monuerimus, nos non tam de jure circa rem feudalem competente, qvam de ipſo feudo ſeu re feudali acturos eſſe, tamen cum res feudalis propter hoc jus feudalis ſit & nominetur, ſi hic de conſtitutione juris feudiſtici tractabimus, ſatis & per ſe conſtitutio rei feudalis eluceſcet. *V.* c. I. §. 3.

§. III.

Et qvidem qvantum dominium plenum qvod offertur, attinet, modus illud & conſtituendi & acqvirendi planiſſimus erit *traditio vera & propria*, facta ex titulo ad transferendum dominium idoneo a volente & ſciente, qvæ ex una parte translationem ex altera vero acceptationem continet, qvæ tamen omnis ſit ea conditione, ut mox contractus feudalis celebretur, dominiumqve utile iterum concedatur. Non autem præciſe hac vera traditione opus eſt, ſed ſufficit etiam *ficta ſeu brevis manus* qvæ ſemper ſubeſſe præſumenda eſt, qvando res propria in feudum ab aliqvo recognoſcitur: fingitur enim primo a domino ex donato vel alio titulo tertio tradita, & deinde ab eo iterum in feudum accepta eſſe. Et cum in omni traditione reqviratur in tradente & poteſtas & voluntas transferendi dominium in acqvirente vero & poteſtas & voluntas acqvirendi dominium *l. 3. §. 8. ff. de condiction. cauſa data &c. l. 35. ff. de A. R. D.* jung. Dn. Struv. *Syntagm. Juris Civil. Ex. 41. th. 55.* Rennemann. *iurispr. Rom. Germ. m. 2. D. 10.* etiam ficta qvæ in recognitione ſubeſt, hæc omnia reqviret; hinc ſi vel a recognoſcente, vel a putativo feudi Domino erretur, neſciaturqve rem eſſe allodialem, nullius effectus erit ejusmodi recognitio, nec ex re allodiali feudalem efficiet, Gothofred. Anton. *Diſſ. Feud. 2. th. 3. lit. d.* Vultej. *de Feudis c. 5. num. 19.*

§. IV.

Ex actibus ultimæ voluntatis huc referri poterit, *legati*

gati relictio & acqviſitio, cum nempe rem ſuam propriam ita legat teſtator, ut heredem ſuum de ea legatarius inveſtiat, ex legato ſtatim ipſo jure in legatarium transfertur dominium *l. 1. C. commun. de legat.* §. 2. *inſt. d. Legat.* Vinnius *ad d.* §. Hinc nulla videtur eſſe ratio, cur non & in hoc caſu ſtatuamus recta a teſtatore ad hunc legatarium legatum agnoſcentem tranſire dominium, qvamvis cum onere concedendi heredi dominium utile conjunctum, & conſeqventer inter modos & conſtituendi & acqvirendi hic invenire locum. De fideicommiſſo particulari idem judicandum eſt, utpote qvod per ſupra allegatas leges legato æqviparatum eſt per omnia.

§. V.

Sed qvid ſi duo heredes inſtituti ſunt, & à teſtatore dictum, ut unus in certo prædio dominium directum, alter utile habeat, an & hanc hereditatis delationem & ſubſecutam acqviſitionem habebimus pro modo conſtituendi & acqvirendi jure dominium? Finge nobilem aliqvem divitem certis rationibus ductum Principem ſuum & unicum filium heredes ex æqvo inſtituiſſe, & voluiſſe, ut in certo prædio nobili hactenus allodiali Princeps dominium directum, filius utile feudi jure habeat; Voluntatis qvæſtio hic ſubeſſe videtur, ſi enim prælegatum voluit dominium directum & utile teſtator, Principi ſtatim poſt agnitionem totius prædii dominium, cum onere inveſtiendi coheredem erit acqviſitum *arg.* eorum qvæ theſi antecedente de legatis dicta ſunt; ſin vero hereditario jure ſeu ut heredibus iſta relicta fuere ſolummodo in parte dimidia ſeu portione hereditaria dominium pro indiviſo

tamen qvæſitum erit; Ratione vero alterius dimidiæ jus ad rem offerendam in feudum adverſus filium competet, & eatenus delatio hæc hereditatis non ad conſtitutionem, ſed ſolummodo promiſſionem erit referenda.

§. VI.

Si heres inſtitutus rogatus ſit hereditatem vel totam vel partem ejus retento feudi jure dominio utili tertio reſtituere, an hoc etiam ad dominii hujus acqviſitionem pertinebit? R. diſtingvendum hic eſſe an reſtitutum ſit fideicommiſſum, ſi non re ipſa, *verbo* ſaltem, nec ne? Priori caſu conſtitutum erit dominium *l. 36. ff. ad SCtum Trebell.* Poſteriori vero ſolummodo jus ad rem jung. Dn. Struv. *Synt. J.C. Ex. 36. th. 43.*

§. VII.

In capite ſuperiori, ubi de promiſſione feudi agebatur ad promiſſiones per ultimam voluntatem factas referebamus (1) ſi qvis heres inſtitutus ſit, & alteri legatum dominium utile, deinde (2) ſi qvis heres ſit rogatus alteri hereditatem vel ejus partem deducto dominio directo reſtituere, fuit qvidem tunc monitum, ea non videri proprie ad hunc noſtrum tractatum pertinere; interim cum illi valde ſint adfinia non peccabimus in methodi regulas, ſi inqviramus, qvousqve & hic delatio hereditatis & ejus acqviſitio ſit modus dominium ſupra indicatum & acqvirendi & conſtituendi? Sane cum utroqve dominium directum heredi competere debeat, & heres rerum hereditariarum facta acqviſitione hereditatis,

ſtatim

Digitized by Google

tatim fiat Dominus, non poteſt etiam dominium hoc ipſo, i denegari; An vero ratione legatarii & fideicommiſſarii, iniverſalis etiam dominium utile ipſo jure non interveniente inveſtitura & traditione acqviratur, de eo dicetur, n ſeqventibus.

§. VIII.

Sed qvæ hactenus dicta fuere de modis dominium offerendi, illa intelligenda ſunt, ſi res offerentis fuerit propria, ſi enim aliena fuerit, & bona fide acqviſita, non qvidem dominium in acqvirentem tranſire poteſt, interim tranſit uſucapiendi conditio, ut ſi per triginta annos ſit poſſeſſa, dominium directum a Domino erit præſcriptum: Simile qvid ſtatuendum erit, ſi qvis rem ſuam allodialem, ut feudalem per triginta annos poſſederit, & ſervitia alteri tanqvam Domino præſtiterit, qvod alter dominium directum præſcribat, & præſumatur in Domino bona fides ac in Vaſallo ſcientia *2. Feud. ſi qvis. 2. Feud. 37. in fin.* Dn. Struv. *c. 7. a. 10. in f. & c. 8. a. 12. num. 3.*

§. IX.

Qvod vero alterum negotium, qvod in reſtituendo feudo oblato occurrit, per qvod nempe dominium iterum Vaſallo conceditur, attinet, illud videtur cum conſtitutione feudi communis fere coincedere, & vel nulla, vel non multa habere ſingularia, ut non opus ſit longe huic rei immorari, cum ea ex omnibus feudiſtarum libris poſſint peti. Eſt autem feudum qvatenus jus notat non ens aliqvod ſimplex, ſed aliqvid ex juribus in rem

Digitized by Google

rem & ad rem compoſitum, qvæ jura cum diverſos acqvirendi & conſtituendi modos præſupponant, illi ad feudum plene conſtituendum concurrere debent; Concurrunt autem in inveſtitura propria, utpote qvæ eatenus, qvatenus contractum feudalem in ſe continet jura ad rem & his oppoſitas obligationes producit, qvatenus autem conjunctam aut innexam habet traditionem, eatenus jura in rem ab illa producuntur.

§. X.

Hoc circa feuda oblata & hic ex §. 3. repetendum eſt, traditionem, conſtitutionem & acqviſitionem dominii utilis continentem, in facta recognitione eſſe fictam, qvæ tamen idem qvod Veritas operatur; Qvæ traditio ficta etiam in feudis communibus locum inveniet, ſi enim res in feudum danda, jam ſit penes futurum Vaſallum, vel ex locato vel commodato; & poſtmodum de ea fiat inveſtitura, non erit opus ut illa reddatur Domino, & ab eo iterum Vaſallo tradatur; ſed per fictionem brevis manus hi actus intervenisse præſumuntur *arg. l. 43. ff. d. jure dotium l. 18. pr. l. 21. pr. & §. 3. de acqvirend. poſſeſſ.*

§. XI.

Inter modos feudum oblatum conſtituendi eſſe præſcriptionem ſuperius fuit indicatum, ſimulqve dictum in præſcribente reqviri bonam fidem, lubet itaqve hic qværere, qvid ſi Sejus Mævio rem alienam in feudum offerat, Sejus ſcit alienam eſſe, & ita in mala fide eſt, Mævius vero alienam eſſe ignorat, an uterqve hoc caſu ſuum jus, hoc eſt Mævius dominium directum Sejus utile triginta annis

præ-

præſcribet, an vero ſolummodo Mævius dominium directum, non autem Sejus dominium utile; Poſterius videbatur propterea ſtatuendum eſſe, qvod vaſallus manifeſte ſit in mala fide, & propterea ſaltem ex principiis juris Canonici præſcriptione dominium utile acqvirere neqveat; Verum qvicqvid hujus ſit videtur in hac materia ſolummodo Domini perſona inſpicienda eſſe, ſi enim ille, qvi inveſtit aliqvem de feudo & rem tradit non ſit rei Dominus, feudum præſcribitur contra verum Dominum eo *modo & tempore* qvo ab illo, qvi inveſtivit res præſcribitur, uti ex *2. feud. 37.* Covarruvis & Molina adfert Dn. Struv. *c. 8. a. ult. in fin.* Ratio hujus rei videtur hæc eſſe, qvod jus vaſalli ſit jus aliqvod à jure Domini dependens, & ille correlatum, hinc ſi Domino dominium directum revera competat, non poteſt non vaſallo competere etiam utile; Econtrario licet vaſallus ſit in bona fide, Dominus autem in mala, hæc bona vaſalli fides ipſi non proficiet, ſed illa non obſtante dominium utile non erit acqviſitum vaſallo.

§. XII.

Deinde hic inqvirendum, an ſi dominium utile ſit legatum, vel etiam fideicommiſſo univerſali relictum, an ipſo jure illud a legatario acqviretur? Reſpondemus ex ſpeciali juris feudalis diſpoſitione non tranſire ipſo jure dominium utile, ſed hic opus eſſe ut interveniat inveſtitura, ſine qva nullo modo feudum conſtitui poſſe, expreſſe ſcriptum eſt *1. F. 25.* Eſt enim dominium hoc utile neceſſario cum obligatione ad fidem connexum, qvæ cum non aliunde, qvam ex contractu feudali ortum habere

bere poſſit, ante illum celebratum dominium utile ne cogitari poterit.

§. XIII.

Inter modos acqvirendi feudum jam conſtitutum, etiam præcipuus eſt ſucceſſio, qvæ æqve in feudo oblato, qvam communi locum invenit, ut ſi illud ſit maſculinum ſoli maſculi, ſi ſit fœmininum cum maſculis fœminæ, ſi ſit hereditarium & ſecundum hujus feudi naturam ſuccedatur, hoc forſan in feudo oblato circa ſucceſſionem erit ſingulare, qvod in dubio regulæ fœminarum & aliorum heredum excluſivæ in feudis recognitis, & qvæ a Domino, nunqvam proceſſerunt, non tam ſtricte ſit in heredum, ſed laxior & benignior indulgenda ſit interpretatio & feudum potius pro hereditario aut ad minimum fœminino qvam maſculino habendum, ſicut per aliqvot rationes probat Gœddeus *vol. 4. conſil. Marpurg. conſil. 37. num. 721* & famigeratiſſimus Dn. Lüncker *in gravaminibus* [illegible] *extrajudiciali cap. 5. ſect. 1. §. 24. num. 5.*

CAP. VII.

CAP. VII.

De
Cauſa finali & impulſiva feudi oblati.

§. I.

NOn opus hic eſſe arbitror omnes cauſas impulſivas & finales, qvæ feudo in genere conſiderato applicari poſſunt, hic adferre, ſed ſufficiet ſi ea adferam, qvæ feudo noſtro oblato ſunt propria. Ex hiſtoricis novimus potiſſimam cauſam impulſivam conſtituendi talia feuda fuiſſe neceſſitatem acqvirendi patrocinium alicujus potentioris, qvod inprimis ante conſtitutam pacem publicam, & cum diffidationes in Germania freqventes eſſent, oppido qvam erat neceſſarium: Exempla multa hinc inde occurrunt, ita dicit Gryphiander *ap. Arum. v. 2. diſc. 26. q. 97.* Mariam Jeveranam ſuam ditionem obtuliſſe domui Burgundicæ, ut contra moleſtias vicini Comitis Oſtfriſiæ eſſet tuta, ſimili de cauſa Nobiles de Bercken obtulere caſtrum Limperg Comitibus de Freyburg, literæ oblationis habentur ap. Beſold. *theſaur. practic. verb.* Auffgetragen Lehn/ in qvibus expreſſa continetur clauſula, und haben des gethan mit ſolchen Geding das vergenannt Graff Egen und alle ſine Nachkommen immerme gebunden ſollen ſyn/ Uns und unſer Guht zu ſchirmende/ Uns zu rahtende und zu helffende mit Leibe und mit Guthe und mit ihrer Macht an allen den Sachen/ da wir

Recht an haben. Non ſolum autem perſonis ſecularibus ſed etiam Eccleſiaſticis ob jam dictam cauſam oblationes fuere factæ, ut per eam bona qvodammodo fierent Eccleſiaſtica, & ob authoritatem Eccleſiæ, qvæ tunc temporis erat ſatis magna, a violatoribus & deprædatoribus eſſent immunia: ita conjicit Gœddæus *dict. conſ. n. 726.* Comites Sarvverdanos arcem & civitatem Sarwerden/civitatem Beckenheim & villam Weibersweiler Epiſcopo Metenſi metu potentioris violentiæ in feudum obtuliſſe. Ubi addit hanc rationem, qvod Epiſcopi tum apud Imperatores multum potuerint, tum & apud alios propter metum fulminis Epiſcopalis & Pontificii.

§. II.

Interim ex numero cauſarum impellentium non excludenda eſt (2) pietas & devotio, qvæ plures impulit, ut feuda ſua Eccleſiis offerrent, qvam enim devota fuerit ſimplex illa antiqvitas, & qvam multa ad pios uſus impenderit, fundationes & dotationes Eccleſiarum aliorumqve piorum locorum abunde teſtantur. Nec arbitrandum eſt omnia illa feuda, totos Comitatus, Baronias, prædia Nobilium, qvæ hodie ſatis magno ſæpe numero ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, aliisqve perſonis Eccleſiaſticis tenentur, ex liberalitate de proprio ſeu Eccleſiæ patrimonio fuiſſe data, maximam enim partem, imprimis qvæ pingviora ſunt, vel ex devotione, vel ex metu majoris potentiæ hiſce perſonis ſunt oblata, & poſtmodum recognita.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Tertia feudi offerendi cauſa potuit eſſe lucrum aliqvod, qvod ſperabat ex oblatione Vaſallus, vel ut pecuniam vel aliud aliqvid pro feudo oblato acciperet; qvo etiam referendum eſt, ſi forſan oblatione facta per transactionem lis aliqva, qvæ inter offerentem & eum cui offertur intercedebat ſopiatur, uti ni fallor, factum in oblatione Comitatus Waldeccenſis facta Domui Haſſiacæ.

§. IV.

Huc etiam referenda erit (4) confirmatio in ſuo jure, qvæ cauſa impulit Sereniſſimos Haſſiæ Landgravios ut dominium directum Comitatus Waldeccenſis Imperatori iterum offerrent, & una cum Haſſiæ Landgraviatu in feudum acciperent.

§. V.

Occaſio etiam offerendi feuda non minima iſta eſſe poterit, qvod res aliqva allodialis feudo ab initio fuerit juncta, qvæ poſtmodum tractu temporis, inprimis ſi univerſitas aliqva generatim in feudum accipitur, ſimul fuit recognita, & ſi non ſtatim, tamen temporis tractu per præſcriptionem feudalis effecta.

Digitized by Google

§. VI.

Et hæc de promiſſione & de conſtitutione & acqviſitione, cauſisqve moventibus feudi oblati dixiſſe ſufficiat, qvæ id nos docent, non mera beneficia eſſe feuda oblata, nec ex liberalitate domini originem habere. Unde inferunt Doctores, qvod licet juris rigore aliorum feudorum obtineant naturam, attamen non eſſe æqvum, ut tam facile, & levi de cauſa (e. gr. ob non petitam inveſtituram) ſicut alia, qvæ ex benevolentia domini & bonis ejus ad Vaſallum pervenere, amittantur Beſold. *theſ. pract. verbo* Auffgetragen Lehn / illuſtris Dn. Struvius *c. 7. a. 10. num. 10.* confer. ſupr. *§. 13. c. 1.* ibiqve allegatum prælaudatum Dn. Lunckerum *c. l.*

CAP. VIII.

CAP. VIII.

De *Actionibus, quæ ob feudum oblatum competunt.*

§. I.

Reſtat jam ultimo ut de Actionibus & Remediis ratione feudi oblati competentibus pauca etiam addamus; Et qvidem dividuntur illæ actiones, qvod aliæ competant illi, cui feudum oblatum eſt, qvi per oblationem fit Dominus; & aliæ competant offerenti ſeu Vaſallo.

§. II.

Domino qvæ competunt actiones iterum ſunt de feudo vel adhuc conſtituendo, vel jam conſtituto, & utræqve vel poſſeſſoriæ, vel petitoriæ.

§. III.

Ex remediis poſſeſſoriis ob conſtituendum feudum competentibus videtur huc referri poſſe (1) interdictum Salvianum utile, qvod dabitur non ſolum illo caſu, qvando ſive per pactum, ſive per contractum, cum adjecto hypothecæ pacto oblatio promiſſa eſt, ſed etiam cum dominium directum eſt legatum, breviter omnibus illis caſibus, qvo eo cui offertur feudum, jus vel tacitæ vel expreſſæ hypothecæ competit. *L.1. C. d. Salvian. interdicto.* (2) Remedium

medium qvorum bonorum, uti & Remedium *l. ult. C. de Edicto Divi Adriani tollendo*; qvod competit illis, qvi in dominio directo heredes inſtituti ſunt, adverſus eos, qvi rem pro herede vel poſſeſſore poſſident *l. 1. l. 2. C. qvorum bonorum.* Menoch. *Remed. adipiſc. poſſeſſ. n. 33.*

§. IV.

Referri huc etiam poteſt, qvod in illo caſu, ubi negotiis, quibus oblatio feudi fuit promiſſa, ſint inſertæ clauſulæ guarentigii, *mandata ſine clauſula* de offerendo feudum peti & impetrari poſſint, eodem modo de jure Saxonico, ſi documenta clara adſint, qvibus promiſſio poteſt probari, ſummariter procedetur, *proceſſusqve executivus* habebit locum.

§. V.

Remedia petitoria de conſtituendo feudo Domino competentia, qvod attinet, ſunt illa pro varietate negotii promiſſionem continentis varia. Si enim pacto promiſſa eſt oblatio *condictio*, vel *ex canone* vel *ex moribus* dabitur, ſi ſtipulatione *Actio ex ſtipulatu*, ſi donatio intervenerit, *condictio ex lege*; ſi emtio venditio; *actio ex emto*, ſi ſocietas, *actio pro ſocio*, ſi his contractibus pactum hypothecæ adjectum fuerit, *Actio Serviana*, reſpective contra promittentem ejusqve heredem, aut etiam tertium hypothecæ poſſeſſorem competet.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

Si ultimâ voluntate promiſſa ſit feudi oblatio, etiam pro varietate negotii variæ dabuntur actiones, ſi enim in dominio directo qvis ſit inſtitutus heres hoc caſu, contra tertium qvi pro herede vel poſſeſſore poſſidet actoremqve heredem negat dabitur *petitio hereditatis*; Sin autem ille tertius titulo particulari poſſideat, *Rei vindicatio* dabitur, (2) Si heredi relictum dominium utile, alteri vero legatum dominium directum, huic legatario *actio perſonalis ex teſtamento* adverſus heredem, *actio hypothecaria* adverſus poſſeſſorem rerum hereditariarum, & *Rei vindicatio* adverſus poſſeſſorem ipſius rei legatæ competit. (3) Si duo heredes inſtituti ſunt, unus in directo, alter vero in utili dominio, & alter alterum fatetur eſſe heredem, *familiæ herciſcundæ actio* locum inveniet Dn. Struv. *d. c. 7. a. 10. num. 5.* Si (4) heres ſit rogatus hereditatem tertio deducto dominio directo reſtituere, eædem actiones in hoc caſu, qvas in primo recenſuimus heredi erunt applicandæ. Deniqve (5) ſi heres rogatus ſit hereditatem dominio utili deducto reſtituere, hoc caſu ante reſtitutionem fideicommiſſario ſolummodo *actio ex teſtamento* competet, reſtitutione vero licet *verbo* ſaltem facta, *Petitionem hereditatis fideicommiſſariam & rei vindicationem* pro diverſitate caſuum habebit; Donatario mortis cauſâ ſi res donata actu ante mortem tradita non ſit, eædem actiones competent, qvæ legatario, ob horum negotiorum exæqvationem.

§. VII.

Ratione exſpectativæ in domini odirecto promiſſæ, ſecundum varietatem conventionis etiam variæ actiones competent, qvas omnes recenſere nimis longum eſſet, videantur Doctores, qvi de exſpectativa communi ſcripſere, qvorum tradita ad hanc noſtram nullo negotio applicari poſſunt.

§. VIII.

Ratione feudi oblati conſtituti competunt Domino remedia & petitoria & poſſeſſoria, qvæ cum ſatis ſint explicata a Domino Struvio Syntagm. juris feudalis *c. ult. a. 2.* nos hic actum non agemus, ſed cupidum lectorem eo remittimus.

§. IX.

Vaſallo qvæ remedia competant illa etiam dantur, vel ratione feudi conſtituendi, vel ratione feudi conſtituti, ratione feudi conſtituendi, ſi vaſallus ex ſua parte ſatisfecit, & rem in feudum dandam obtulit, Dominus autem eum inveſtire non vult, duplices dabuntur actiones (1) *Actio præſcriptis verbis* orta ex contractu innominato do ut facias, nempe do tibi rem ut me iterum in ea re inveſtias, & hoc, ſi deſiderat contractus impletionem. Si vero pœnitere vult, poterit inſtituere *condictionem cauſa data cauſa non ſecuta*, qva rem in feudum oblatam repetit.

§. X.

§. X.

Si legatum eſt alicui dominium utile, hic qvidem *Actionem ex teſtamento* inſtituere & *hypothecaria* agere poterit; Dominium vero utile cum per jura feudalia nullo alio modo niſi inveſtitura poſſit conſtitui Rei vindicationem non habebit, qvæ alias poſitis terminis habilibus competit legatariis, junge *c.6. §.12.*

§. XI.

Remedia qvæ ob feudum oblatum jam conſtitutum vaſallo competunt, ab illis, qvæ aliis vaſallis dantur plane non ſunt diverſa, qvamcum iterum ſatis explicavere Feudiſtæ, & poſt alios ſæpius laudatus Dn. Struvius *d. c. ult. a. 3.* nos lectorem non diutius fatigabimus, ſed eo illum remittemus, huic noſtræ diſſertationi rudi minerva elaboratæ imponentes

FINEM.

Immortali DEO Immortales gratias.

SUPERPONDIUM.

I.

TUtus eſt in conſcientia SCto Macedoniano qvi utitur. DN. GOTHOFREDUS DE JENA, Potentiſſimi Domini Electoris Brandenburgici in Principatu Mindenſi Cancellarius & in Comitiis Ratisbonenſibus Legatus eminentiſſimus. tract. de SCt. Maced.

II.

Introducta de pactis nudo & veſtito, contractibus nominatis ac innominatis a Romanis doctrina, nec hodienum omnino inutilis eſt.

III.

Digitized by Google

III.

Coitus omnis extra matrimonium, eſt ipſo jure naturæ illicitus.

IV.

Exceptio doli oppoſita actionem non facit b. f.

V.

Vaſallus etiam adverſus patrem ſuum ac fratrem militare debet.

VI.

Etiam in Electoribus committitur crimen læſæ majeſtatis, an in ipſos?

VII.

Capitulatio perpetua eſt res aliqva poſſibilis, imo non eſt.

VIII.

Princeps plus poteſt in ſuo territorio, qvam Imperator in imperio.

IX.

Actio de tigno juncto eſt mere rei perſecutoria, tam reſp. b. f. qvam m. f. jungentis.

X.

De tigno juncto actio non datur contra fabrum lignarium.

XI.

An infamia etiam elapſo tempore ceſſet, ſi poena qvæ infamiam operatur temporalis fuerit? qvæſitum eſt.

XII.

Non ineptit Ulpianus in l. 6. in

Digitized by Google

in f. ff. de his qvi ſui vel alieni juris ſunt.

XIII.

Non recte dividitur mutuum in verum & præſumtum.

XIV.

Metum inferens rei caſu peremptæ æſtimationem tam ante qvam poſt litem conteſtatam præſtare debet, non poſt ſententiam.

XV.

Qvid in condictione cauſa data cauſa non ſecuta, qvando nulla præcedente mora, per caſum fortuitum alter impeditur, qvo minus promiſſis ſtare poſſit, obtineat, controverſum eſt.

XVI.

Frater fratri ſolvens ſolutum repetit,

petit, & non repetit, per leg. Damnatam Frater a frater ff. de condict. indebiti.

XVII.

Terminus an prolongari vel coarctari poſſit, Practicorum doctrina eſt.

XVIII.

Dies termini computatur in termino, imo non computatur.

XIX.

Procurator univerſorum bonorum, & cum libera differunt.

Offers Aſtreæ Te totum, debite honores
Hinc ſummos offert En Themis ipſa Tibi.

GEORG. ADAM. STRUVE, D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google